

DE ANTIGONAE EXORDIO SOPHOCLEAE

'De Antigonae exordio Sophocleae? Nempe haec adsidue. *Ἄλις δρῦός, inquam.*' At ego non in eis sum, qui tradita, quae nullo pacto defendi possint, defendant inuita Minerua, neque hercle me persuasurum opinor, si uerba tradita disiecero ui uiolentia uel mutauero uel diruero. Sin una littera addita cadent offensiones et difficultates grammatica fauente, audire erit operae pretium, quo pacto reuera Oedipi filia me iudice claram exorsa sit fabulam. Atque, sicuti in codice Laurentiano hodie uersus illi exstant scripti, ita iam Ciceronis aetate legi fuisse eos solitos scholiasta auctor est. Ille enim de his uersibus:

*ὦ κοινόν, ἀντάδελφρον Ἰσμήνης κάρα
ἄρ' οἷσθ' ὅτι Ζεὺς τῶν ἀπ' Οἰδίπου κακῶν
ὅποιον σὸν χι νῶν ἔτι ζώσαιν τελεῖ;*

suo iure adnotat: *εἶπεν δὲ διπτῶς, πρῶτον μὲν ὅτι, ἔπειτα δὲ ὅποιον, ἀρκοῦντος θαιτέρου.* At istud *ὅτι* quod post *οἷσθα* positum nonnisi particulam potest significare una cum pronomine relatiuo *ὅποιον* intellegi et tolerari posse, nemo demonstrabit neque minor difficultas erit, si *ὅτι* pronomen relatiuum esse dicetur adiuncto altero relatiuo *ὅποιον*. Sedem uero iniuriae recte scholiasta ille Graecus indicat, est enim aut in *ὅτι* aut in *ὅποιον*: reliqua sana. Quod ita esse etiam alia ratione euincitur. Congruit enim cum consuetudine poetae egregie ultimum uerbum *τελεῖ*: *Ζεῦ Ζεῦ τέλειε τὰς ἐμὰς εὐχὰς τέλει* legitur Aeschyl. Agam. 973, imitatur enim in hoc exordio passim Aeschyli grande eloquium. Stat deinde nulli suspicioni obnoxium colon *νῶν ἔτι ζώσαιν*, item *τῶν ἀπ' Οἰδίπου κακῶν*, siquidem Sophocles Philoct. 1087 *πληρέστατον αἴλιον λύπας τὰς ἀπ' ἐμοῦ*. Denique hemistichium *ἄρ' οἷσθ' ὅτι Ζεὺς* recte Guilielmus Dindorf comparauit cum fragmento Niobae Aeschyli (160 N.), quod imitatus est Aristophanes Au. 1246 seqq.: *ἄρ' οἷσθ' ὅτι Ζεὺς εἴ με λυπήσει πέρα μέλαθρα μὲν αὐτοῦ καὶ δόμους Ἀμφίονος καταιθαλώσω πυρφόροισιν αἰετοῖς*; Vbi comica persona per iocum potuit Ioui supremo

imitari tragici uocabulis commutatis, tragica persona apud Aeschylum hoc nulla potuit, sed sic fere clamauerat Latona irata, filium Apollinem dum adloquitur: *ἄρ' οἴσθ' ὅτι Ζεύς, εἴ με λυπήσει πέρα (Niobe sua iactatione), μέλαθρα μὲν αὐτῆς καὶ δόμονς Ἀμφίονος καταιθαλώσει πυρφόροισιν αἰετοῖς*; Itaque Aeschylum imitatus est Sophocles, sicuti u. 1 *κοινόν* i. e. coniunctum ex Aeschyli consuetudine dictum est (Pers. 131), item *ἀντάδελφον* (Sept. 718. Eumen. 89), *κῆρα* in adlocutione personae (Agam. 905): addidit *ICMHNHC* Sophocles, quod ueteres Attici *Ἰσμήνης* legebant (P. Kretschmer Inscr. uas. Graecae p. 228). Haec omnia si recte erunt exposita, apud Sophoclem sicut apud Aeschylum uerba *ἄρ' οἴσθ' ὅτι Ζεύς* cum futuro coniuncta sunt intellegenda, nam *τελεῖ* futurum est (conf. El. 1435): neque *ὅτι* ut pronomen erit accipiendum sed ut particula. Sed uerba *ἄρ' οἴσθ' ὅτι* specie incipiunt cum enuntiato integro *ἄρ' οἴσθα*, re uera nonnisi formula sunt sumpta ex cottidiano sermone instar particulae *δηλονότι*, sicuti *εὔ οἶδ' ὅτι* in exitu uersus et sententiae ponitur Arist. Ran. 601: *ταῦτ' ἀφαιρῆσθαι πόλιν πειράσεται μ' εὔ οἶδ' ὅτι*, item *σάφ' ἴσθ' ὅτι* in exitu uersus et sententiae Plut. 889, sententiae interpositum Demosth. VI 29: *οὔτ' ἂν ὑμεῖς οἶδ' ὅτι ἐπαύσασθε*, et IX 1: *πάντων οἶδ' ὅτι φησάντων γ' ἂν*: qua de proprietate sermonis Attici actum est in syntaxi Kühneri Gerthii II (1904) p. 354. 368, 1. Itaque de sede corruptelae non est quod dubites, omnia sana sunt praeter uerba *ὅποιον οὐχί* uel unum relatiuum pronomen *ὅποιον*, quod tolerari nequit in eadem periodo positum cum *ὅτι* coniunctione. Tamen quod de pronomine relatiuo recte dicitur, id de interrogatiuo pronomine immerito culpaueris. Veluti Horatius carm. I 24, 6: cui Pudor et Iustitiae soror incorrupta Fides nudaque Veritas quando ullum inueniet parem? hoc est, numquam inueniet parem. Et in negatiua sententia inprimis pronomina interrogatiua collocantur, hoc modo: Demosthen. de falsa legatione 201: *τοσοῦτων τοίνυν καὶ τοιούτων ὄντων . . . ἐν οἷς τί κακῶν οὐκ ἔστι; κτλ.* quae sententia prope accedit ad uersum illum Antigonae; in hac re praecipue similis, quod interrogatio enuntiato dependenti inserta est, non dominantique modo plerumque fit: item quae saepe cum participiis ponitur ut de cor. 48: *εἴτ' ἐλαυνομένων καὶ ὑβριζομένων καὶ τί κακῶν οὐχί πασχόντων πᾶσ' ἢ οἰκουμένην μεστήν γέγονεν*. item in oratione contr. Aristogit. I 49: *ἀπειλῶν οὐκ ἐπάετο, . . . αἰτῶν, εἰσπράττων ἀργύ-*

ριον, τί κακῶν οὐ παρέχων; Quibus locis iure Blassius genetiuum κακῶν probauit, non sicuti alii κακόν scripsit: idem ad de cor. I. s. s. attulit uersum Sophoclis O. R. 1496: τί γὰρ κακῶν ἄπεισι; At in sententia affirmatiua singularem posuit Lysias IV 19: εἰ διὰ πόρνην καὶ δούλην ἄνθρωπον περὶ τῶν μεγίστων εἰς κίνδυνον καθέστηκε τί κακόν πρόποτε τὴν πόλιν . . . εἰργασμένος; Sed in omnibus eiusmodi sententiis negatiuis quae uim exhibent affirmandi auctam toleratur tantummodo pronomen interrogatiuum, nusquam adhibetur relatiuum, quae de re Kühneri Gerthii Satzlehre II (1904) actum est p. 522, 9, in uetere Krügeri Gr. Sprachl. syntaxi (1875) § 51, 17, 4. 5. Veluti in tragoedia Aeschylus scripsit Agam. 557: τί δ' οὐ στένοντες, οὐκ ἀλγοῦντες (οὐ λαχόντες codd.) ἡματος μέρος; Sophocles O. R. 420: βοῆς δὲ τῆς σῆς ποῖος οὐκ ἔσται λιμήν, ποῖος Κιθαιρῶν οὐχὶ σύμφωνος τάχα; Euripides Androm. 299: τίν' οὐκ ἐπήλθε, ποῖον οὐκ ἔλισσεται δαμογερόντων; Theocr. 2, 90: καὶ ἐς τίνος οὐκ ἐπέρασα ἢ ποίας ἔλιπον γραίας δόμον ἄτις ἐπᾶδεν; Item Herodotus VII 21: τί γὰρ οὐκ ἤγαγε ἐκ τῆς Ἀσίας ἔθνος ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα Ξέρξης, κοῖον δὲ πινόμενον ἴδιον οὐκ ἐπέλιπε; Item saepe Isocrates, ueluti ter in oratione de pace VIII 67: ποίους λόγους οὐκ ἀνηλώσαμεν; (99. 139). Item [Lys.] II 39: ποῖαι δ' οὐχ ἰκετεῖαι θεῶν ἐγένοντο; Similiter Latini, ut Vergilius Georg. III 6: Cui non dictus Hylas puer? alii. Et imbutus lectione tragica Goethius poeta Fausti parte II actu III initio Helenam inducit dicentem: Da sah ich bei verglommener Asche lauem Rest Am Boden sitzen welch verhülltes grosses Weib! Itaque in Antigoniae uersu 2 ὁποῖον ferri nequit, requiritur ποῖον uel addita una littera τὸ ποῖον, quomodo legitur Aeschyl. Prom. 249: τὸ ποῖον εὐρών τῆσδε φάρμακον νόσου; Soph. El. 671: πρᾶγμα ποροσύων μέγα. — Τὸ ποῖον, ᾧ ξέν', εἶπέ. Plat. reip. VIII p. 550 C: λέγεις δέ, ἦν δ' ὅς, τὴν ποῖαν κατάστασιν ὀλιγαρχίαν; Theocr. 5, 5: τὰν ποῖαν σύριγγα; 8: τὴν δὲ τὸ ποῖον Λάκων ἀγκλέφας πόκ' ἔβα νάκος; de articulo cum ποῖος coniuncto egit Kühner Gerth syntaxeos I p. 625. Tota igitur periodus hoc modo procedit:

ἄρ' οἴσθ' ὅτι Ζεὺς τῶν ἀπ' Οἰδίππου κακῶν
τὸ ποῖον οὐχὶ νῶν ἔτι ζώσαιν τελεί;
οὐδὲν γὰρ οὐτ' ἀλγεινόν, οὐτ' ἄτης ἄτερ,
5 οὐτ' αἰσχροῖον, οὐτ' ἀτιμόν ἐσθ', ὁποῖον οὐ
τῶν σῶν τε κἀμῶν οὐκ ὅπωπ' ἐγὼ κακῶν.

Quod est Latine: Scilicet Iuppiter eorum quae ab Oedipo orta sunt mala quale non nobis etiamnunc uiuis perpetrabit?

Nihil enim nec acerbum nec sine perniciæ nec turpe nec infame est quin tuorum et meorum uia uiderim ego esse malorum. De allitteratione u. 4. 5 insigni adnotauimus ad Plauti Rud. 408, de uerbis *nec sine perniciæ* eodem loco et ad Lucil. 865 (Lucret. III 326), de uulgari negationum contra logicam usu ad rhetor. ad Her. III 15, 22 (1923) extr.

Item mendosus uersus est 53, qui in hac periodo continetur:

οἴμοι, φρόνησον, ὦ κασιγνήτη, πατήρ
 50 ὡς νῦν ἀπεχθής δυσκλής τ' ἀπόλετο
 πρὸς αὐτοφώρων ἀπλακημάτων διπλᾶς
 ὄψεις ἀράξας αὐτὸς αὐτουργῶ χειρὶ,
 ἔπειτα μήτηρ καὶ γυνή διπλοῦν ἔπος
 πλεκταῖσιν ἀρτάναισι λωβᾶται βίον,
 55 τρίτον δ' ἀδελφῶ δύο μίαν καθ' ἡμέραν
 αὐτοκτονοῦντε τὸ ταλαιπῶρον μόρον
 κοινὸν κατειργάσαντ' ἐπ' ἀλλήλων χεροῖν·
 νῦν δ' αὖ μόνᾳ δὴ νῶ λειμιμένα σκόπει
 ὄσῳ κάκιστ' ὀλοῦμεθ' εἰ νόμον βία
 60 ψῆφον τυράννων ἢ κρᾶτη παρέξιμεν.

Adhortatur Ismene Antigonam ut sapiat duobus dum utitur imperatiuis φρόνησον i. e. considera u. 49, et σκόπει u. 58, quibus adnexa sunt enuntiatia duo relatiua, quorum prius enuntiatum ὡς particula colligatum est cum φρόνησον u. 50: quae particula bis tacite suppleri necesse est ante μήτηρ u. 53 et ante ἀδελφῶ u. 55; posterius enuntiatum uerbis ὄσῳ κάκιστα coniungitur cum σκόπει u. 59. Sensus autem planus est et dilucidus. Agit Ismene de mortis genere turpissimo, quo perierint pater mater fratres, quo ipsae periturae sint, nisi sapere malint. 'Considera', inquit, 'quomodo pater inuis infamis perierit, qui sceleribus patefactis ipse sese excaecauerit, deinde quomodo mater eius et uxor laqueo uitam foedauerit, tum quomodo fratres duo perierint fraticidio; nos uero uide quomodo pessime omnium peribimus lapidibus, si contra legem nos decretum aliquod hominum regnantium uel maiestatem magistratum — ita enim plurales τυράννων et κρᾶτη communi cum sensu interpretabimur — uiolauerimus. Omnia fere recte tradita eleganterque dicta sunt praeter u. 53 seq. ἔπειτα μήτηρ καὶ γυνή διπλοῦν ἔπος . . . ἀρτάναισι λωβᾶται βίον, quem nemo adhuc potuit explicare. Vbi agitur non de Iocasta ut de matre uirginum, sed de Iocasta matre et uxore Oedipi praeter expectationem. Nam legitima affinium

in enumeratione primo loco pater uirginum, secundo mater, tertio fratres erant memorandi. Sed secundo loco posita uerba *μήτηρ καὶ γυνή* non nisi de Oedipi matre intellegi posse uerba *καὶ γυνή* indicio sunt: maluit igitur poeta uirginem castam de Iocasta tamquam de sua matre tacere. Quae tamen secuntur uerba *διπλοῦν ἔπος*, ea sensu carent. Meminit Augustus Nauck eorum, quae Eugenius Mehler adnotauit ad Heracliti allegoriarum cap. 21 extr., ubi uituperari debere Homerum merito exponitur, si Iouem o. m. reuera a Iunone Neptuno Minerua induxit in uincula coniectum Iiadis A 399 seqq.: nefas esse, si huius sceleris particeps inducatur non Gigantes ἀλλ' Ἥρα, *διπλοῦν ὄνομα, φύσεως καὶ συμβιώσεως, ὃ τ' ἀδελφός Ποσειδῶν κτλ.*, id est Latine: *Hera, duplicis significationis uocabulum, naturae et conuictus*. Quod quomodo intellegendum sit, Athenagoras demonstrat legat. de Christ. cap. 22 p. 27, 26 Schw. his uerbis: *περὶ δὲ τοῦ Διός, εἰ μὲν ἀήρ ἐστι, γεγονώς ἐκ Κρόνου, οὗ τὸ μὲν ἄρσεν ὁ Ζεὺς, τὸ δὲ θήλυ Ἥρα (διὸ καὶ ἀδελφή καὶ γυνή), ἀλλοιοῦται... οὔτε δὲ μεταβάλλει*. Ad Heracliti uerba s. s. Sophoclis uersum adnotauit l. s. s. Mehler, sed loci tantummodo uidentur esse similes neque tamen sunt. Nam apud Heraclitum nomen Hera adfertur, quod duplicis est sensus, naturae, quia Hera est aer, et conuictus, quia illa Ioui adhaeret: *συνῆπται γὰρ εὐθὺς αὐτῶ* auctore Cornuto epidr. cap. 3. Apud Sophoclem nomen Iocaste non exstat, dicuntur uerba *μήτηρ καὶ γυνή*: *διπλοῦν ἔπος, δυο uocabula*, quod puerile est admodum. Quare *ἔπος* nescio quis antiquorum teste scholiasta mutauit scribendo *πάθος*, temere. Quod sane corruptum esse uocabulum patet neque *διπλοῦν* uocabulum potius nos mutabimus, quod hoc potissimum adiectiuo usus est poeta alias, quo loco de incestis Iocastae nuptiis agitur, ueluti O. R. 1256: *μητρῶαν δ' ὄπον κίχοι διπλῆν ἄρουραν, οὗ τε καὶ τέκνων*, id est: *matrem ubi inueniat Oedipus, duplex seminarium et sui ipsius et liberorum suorum*, item 1249: *εὐνάς, ἔνθα δύστηνος διπλοῦς ἐξ ἀνδρός ἀνδρα καὶ τέκν' ἐκ τέκνων τέκοι*, id est: *torum ubi infelix duplices propagines, ex Laio marito Oedipum maritum, et liberos ex liberis i. e. ex Oedipo pepererit*. Vbi adnotauit Nauckius uersum Euripidis Herc. 950: *διπλοῦς δ' ὀπαδοῖς ἦν, γέλως φόβος θ' ὁμοῦ*, i. e. *duplex pedisequis eram, risus terrorque simul*. Corruptum esse si credibile erit *ἔπος* nulla res magis desideratur, quam coniunctio similis ὡς coniunctionis positae u. 50, ne hac satis exigua coniunctione sola trium enuntiatorum relatiuorum pondus

aegre sustineatur, cum duo posteriora enuntiata sine uinculo tali pendentia sint tradita. Variatur autem mutatione coniunctionum elocutio poetae fragm. 799 P. (731 N.): *ἐγὼ δ' ἔρῳ σοι δεινὸν οὐδέν, οὐθ' ὄπως φηγάς πατρώας ἐξελήλασαι χθονός, οὐθ' ὡς ὁ Τυδεὺς ἀνδρὸς αἷμα συγγενὲς κτείνας ἐν Ἀργεὶ ξείνος ὄν οἰκίζεται οὐθ' ὡς κτλ.* Itaque neque a traditis procul aberit et perspicuitati opitulabimur sermonis si scribemus:

*ἔπειτα μήτηρ καὶ γυνή διπλοῦν ὄπως
πλεκταῖσιν ἀρτάναισι λωβᾶται βίον*

ita ut *ὄπως* coniungatur cum *φρόνησον* u. 49, item facile suppletur ante u. 55 *τρίτον δ' ἀδελφῶ κτλ.* *Διπλοῦν* autem coniungatur oportet cum accusatiuo *βίον*. Vsa est uirgo eisdem praestigiis uerbi *διπλοῦς* quales in O. R. fabula supra expositae sunt neque sensus poterit esse obscurus. Duplex uita quam laqueo turpauit Iocaste erat prior illa caste transacta cum Laio et posterior incestu cum Oedipo et filio et marito. Collocauit autem poeta *ὄπως* coniunctionem in senarii exitu El. 963 alibi.

Tamen non semper poterit succurri leni medicina per litterarum uices et similitudines locis mendosis, est ubi secandum et urendum sit. Scilicet poterant reges Aegyptii nonnisi corrupta exemplaria pretio comparare Athenis, siquidem ciues Attici post belli Peloponnesiaci calamitatem paupertate oppressi non iam habebant, qui exemplaria bona et uetusta sua nouis cartis instaurarent. Sed id quod ex Alexandrinorum bibliotheca ad nostram aetatem peruenit exemplar Sophoclis eorum fuit, quae uulgo Athenis uenibant uili histrionis mantissa et ineptis auctariis scaenici amplificata. Etiam illud exemplar quod nescioquis Asclepiades auctore scholiasta Veneto ad Aristoph. Ran. u. 1344 traditur Athenis inuenisse, uidetur fuisse Aristophanis Ranarum liber suppletus. Traditur autem de inuentore: *εὔρε δὲ Ἀθήνησιν ἐν τινι τῶν δι<ορθω>θίντων*, ubi *διαθέντων* codex, *διασωθέντων*, quod uulgo probatur, parum est aptum, quoniam in eis quae periire exemplaribus nihil sane potuit inueniri, *διορθοῦν* uerbum in Demosthenis Parisini S subscriptionibus per compendium saepius scribitur. Huius generis exemplar archetypum Sophoclis fabularum fuisse Antigoniae exordium prodit, uitiatum passim ineptis illis additamentis, histrionum quae exhibeant loquacitatem uanam. Veluti merito damnauit Augustus Nauck u. 10:

ἔχεις τι κεισὴκουσας; ἢ σε λανθάνει;

[*πρὸς τοὺς φίλους στείλοντα τῶν ἐχθρῶν κακά;]*

Pedestre enim et humile ingenium indicat κακά uocabulum, languet istud, quod cum genetiuo τῶν ἐχθρῶν contenditur, πρὸς τοὺς φίλους: multo denique elegantior exitus periodi breuis ἢ σε λανθάνει; quam longa ista quae anili cum garulitate trahitur cauda.

Item alienum a Sophocle additamentum u. 14:

ἐξ ὅτου

δυοῖν ἀδελφοῖν ἐστερήθημεν δύο.

[μῆθ' ἀνιόντων ἡμέρα διπλῆ χειρ].

Queritur enim hoc uersu Ismene, uno die duabus manibus interfectos esse fratres. Quod et ambigue et obscure est dictum, potest enim ita intellegi, ut a duobus aduersariis quibuslibet interfectum esse intellegatur par fratrum, uel ita, ut uterque fratrum ipse sua manu perierit. Illud tamen, quod auctor uersus uoluit dicere neque potuit, fratrem utrumque fratris manu periisse, id nequaquam ex his uerbis poterit sentiri. Quanto apertius simul et elegantius u. 170 scripsit poeta:

ὄτ' οὖν ἐκεῖνοι πρὸς διπλῆς μοίρας μίαν
καθ' ἡμέραν ὄλοντο, παύσαντές τε καὶ
πληγέντες αὐτόχειρι σὸν μιάσματι

et u. 55:

τρίτον δ' ἀδελφῶν δύο μίαν καθ' ἡμέραν
αὐτοκτονοῦντε τὸν ταλαιπώρω μόρον
κοινὸν κατειργάσαντ' ἐπ' ἀλλήλοιω χειροῖν.

Deinde u. 46 eximius aliquis philologus qualis Aristophanes erat Byzantius damnauit:

45 τὸν γοῦν ἐμὸν καὶ τὸν σόν, ἦν σὺ μὴ θέλης.

[ἀδελφόν· σὺ γὰρ δὴ προδοῦσ' ἀλώσομαι].

Id est: *ego meam partem officii quod fratri debetur praestabo, simul et tuam partem, si tu recusabis.* Ubi scholiasta adnotat: Δίδυμος δὲ φησὶν ὑπὸ τῶν ὑπομνηματιστῶν τὸν ἐξῆς στίχον νενοθεῦσθαι. Maluit enim compilerator more philologorum quorundam nomen auctoris suppressi commentatorum gregi commode adnumerando. Hic quoque magno cum emolumento carminis cauda quam trahit u. 45 tolletur. Et de fratre uerba τὸν σόν, secundum consuetudinem poetae posita sicuti El. 536 O. C. 830, multo elegantius cadunt cum stichomythia uu. 41—48, quam addito u. 46, qui ad similitudinem Euripidei uersus Androm. 191 (σὺ προδοῦσ' ἀλώσομαι qui exit) fuit effectus. Denique uu. 69. 70 seclusimus a genuinis Festschrift f. Th. Gomperz p. 139 adnot.:

[οὐτ' ἂν κελεύσαιμ', οὐτ' ἂν εἰ θέλοις ἔτι
 70 πράσσειν, ἐμοῦ γ' ἂν ἠδέως δρώης μέτα.]
 ἀλλ' ἴσθ' ὅποιά σοι δοκεῖ, κείνον δ' ἐγὼ
 θάψω.

Loquitur Antigone hoc loco nimia cum acerbitate, qua utitur primum u. 93: *εἰ ταῦτα λέξεις, ἐχθαρή μὲν ἐξ ἐμοῦ*, neque in eis quae secuntur usquam pronuntiat solam sese fratrem sepultum ituram. Verba ipsa malam exhibent elocutionem, ueluti uerbum *πράσσειν* sine colore est, *ἐμοῦ γ' ἂν ἠδέως δρώης μέτα* ambigue dictum: *ἠδέως ἂν ἐροίμην* posteriore aeuo dixit Demosthenes de cor. 64, sed hoc loco *ἠδέως* eandem uim habeat oportet atque *ἠδέως ἔμοιγε* u. 436, quod fieri nequit. Immo haec sumpta sunt ex uersuum 538 seq. argumento neque hoc loco apta. Verbis denique *ἀλλ' ἴσθ' ὅποιά σοι δοκεῖ* incipit oratio Antigoniae, sicuti simili exordio incipit Electra El. 1055: *ἀλλ' εἰ σεαυτῇ τυγχάνεις δοκοῦσά τι φρονεῖν, φρόνει τοιαῦθ'*.

Eodem loco a genuino prologo remouimus uu. 84—87:

Ism. ἀλλ' οὖν προμηρύσης γε τοῦτο μηδενὶ
 85 τοῦργον, κρυφῇ δὲ κεῦθε, σὺν δ' αὐτῶς ἐγὼ.

Antig. οἴμοι, καταύδα· πολλὸν ἐχθίων ἔση
 οἰγῶσ', ἐὰν μὴ πᾶσι κηρύξῃς τάδε.

Quibus uerbis Antigone non solum inepta uociferatur sed etiam ridicula. Nempe si Ismene omnibus renuntiauerit quae soror factura est, soror in uincula conicietur et in carcere peribit: nec sic fratris manes consopiti aut expiati quiescent. Eodem modo ridebitur Antigone si iactauerit multo magis odiosam sibi fore sororem, si de hoc consilio, summi periculi et discriminis quod est, tacuerit. Quanta temperantia et modestia infra disserit Antigone u. 93: *εἰ ταῦτα λέξεις, ἐχθαρή μὲν ἐξ ἐμοῦ, ἐχθρὰ δὲ τῷ θανόντι προσκείσῃ δίκη*. Singula uerba non nihil offendunt, in *προμηρύσης* et *καταύδα*, quae fere singulariter sunt dicta, praepositiones uersus explendi causa uidentur adiectae, *ἐς πάντας αὖδα* O. R. 93: quod Ismene dehortatur, ne cui indicet Antigone rem, quasi non insanum sit indicem fieri sui ipsius criminis, satis est mirabile. Tamen neque in his uersibus neque in eis quae s. s. s. et quae debentur histriionibus illis garrulis et clamosis, quos *βαρυστόνους* appellauit Demosthenes, nolimus castigare et remouere elocutionis menda, sed seruare interpolationum proprietates ipsas. Verba *πολλὸν ἐχθίων* iure ferri posse negauit Porson ad Euripid. Hec. u. 624

(edit. Lips. 1807): nos dicemus poetastrum illum qui apud Homerum didicerat πολλὸν ἀμείνων (Z 479) suo iure illa uti potuisse elocutione, ut Phoenix Colophonius (3, 3 D.) scribere potuit πολλὸν πλέονα Κασπίης ψάμμου. Quod tamen nonnulli crediderunt, uu. 23—25 interpolatos esse, id parum credibile esse opinor. Isti enim uersus

Ἐτεοκλέα μὲν, ὡς λέγουσι, σὺν Δίῃ
 †χρησθεὶς δικαίᾳ καὶ Νόμῳ κατὰ χθονός
 25 ἔκρουπε τοῖς ἔνερθεν ἔντιμον νεκροῖς.

non interpolati sunt, sed mendosi. Cum agatur de mortuorum honoribus, par est memorari Orphicorum numina, quorum in numero Δίκη θυγάτηρ λέγεται τοῦ Νόμου (fragm. 105 et 160 Kern.). Sophocles cum dicat u. 81 τάφον χάσσοσα, 1203 τύμβον χάσαντες, Euripides Iphig. Aulid. 1442 ἐπεὶ μοι τύμβος οὐ χωσθήσεται, Xenophon Cyri institut. VII 3, 16 μνήμα . . . ἐχώσθη, audacter emendanda arbitror haec uerba nouamque lectionem esse proponendam, quam, etiamsi nonnisi coniec-tando creata sit, tamen ideo audeo proferre, quod magis ad litteras traditas uidetur accedere quam ea quae ab aliis proposita sunt:

Ἐτεοκλέα μὲν, ὡς λέγουσι, σὺν Δίῃ
 χωσθεῖσα γαῖα καὶ Νόμῳ κατὰ χθονός
 25 ἔκρουπε τοῖς ἔνερθεν ἔντιμον νεκροῖς.

Cui constructioni conferri possunt quae Thucydides scripsit IV 29, 2: καὶ αὐτῷ ἔτι ῥώμην καὶ ἡ νῆσος ἐμπρησθεῖσα παρεῖχεν et uersus Euripidis Hel. 94 Αἴας μ' ἀδελφός ὤλεσ' ἐν Τροίᾳ θανόν. Participio autem χωσθεὶς Empedocles utitur (100, 17) πορθμοῦ χωσθέντος et indicatiuo ἐχώσθησαν Herodotus (II 137 med.), ita ut uocabulum etiam extra Atticam terram usitatum, fuisse appareat. Positum autem est participium perfecti passini uice abstracti quale est γῆς χῶσις secundum consuetudinem et Graeci et Latini sermonis de qua K. W. Krüger Gr. Sprachlehre § 56, 10, 2, R. Kühner-Gerth II 2 (Satzlehre) § 485, 3 Anm. 1, R. Kühner-Stegmann II 1 (Satzlehre) § 138, 2.

Bonnae.

Fridericus Marx.